Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 543
Quelle:
Copyright:

CODICES PATRISTICI.

185 — 306.

CLXXXV. VII. H. 27.

705 Codex membraneus lat. Sec. partim XII. partim XIII. Folior. nunc 92. 4. probe ſcriptus, ſed medio, fineque mutilus continet: I. Libros III. *Hermae*, non *Hermis* aut *Hermetis*, quem alii *Pauli* Apoſtoli Comitem, alii *Pii* I. Pont. Rom. fratrem faciunt, nomine *Paſtoris* inſignitos, et ſiquidem, ut *Cotelerio* viſum, propugnaculum fidei Catholicae adverſus *Montani* duritiam cenſendi ſunt, non multo ante finem Sec. II. compoſitos. Edidit eos poſt alios dictus *J. B. Cotelerius PP. Apoſtolicor. Vol.* I. edit. *Antverp.* ſeu *Amſt.* 1698. p. 75. f. Ab hac editione abeſt Inſcriptio *Codicis* noſtri, quae ſic habet: *Incipit Liber paſtoris Nuntii Pęnitentie. mandata ac ſimilitudines eius in quibus apparuit et locutus eſt herme. cui etiam in principio apparuit eccleſia in uariis figuris. Sunt ergo uiſiones ęccleſię numero quatuor. Paſtoris nuntii penitentię uiſio numero una. Mandata eiusdem numero duodecim. Similitudines numero decem.* Cum Liber I. *Viſionibus* ſolum *quatuor* conſtet, per *quintam Viſionem* Noſter intelligit *Prooemium* Libri II. ſive *Mandatorum.* Hiat hic Liber in *Codice* a verbis Prooemii: *Miſſus ſum ab illo uenerabili nuntio, ut* — —. usque ad verba *Mandati* VIII. *et fecerit. uiuet in uita ſua. Deinde horum ſequentia audi. Viduis amminiſtrare* &c. Liber III. ſive *Similitudinum* a verbis *Similitudinis* ult. *Is enim qui huiusmodi* — ſubpletus eſt calamo currente et deficit in his: *Conſummabitur turris et excludemini.* Lectiones variae per decurſum non deſunt, ut e collatione cum Edit. *ſuprac.* deprehendi.

II. *fol.* 63. manu Sec. XIII. ſequitur Liber ἀδέσποτος et ἀνεπίγραφος, qui eſt *Ambroſii de Bono Mortis.* Initium: *A ſuperiore libro ſermonem aliquem conteximus faciliorem uiam putamus de bono*

mortis